

## ADNOTATIO L.

Lib. III. Decretal. Tit. XLIV, n. 2, pag. 184.

DE DISTRIBUTIONE CHRISMATIS ET OLEORUM QUOTAN-  
NIS AB EPISCOPO BENEDICTORUM.

Juxta canonicas sanctiones et Rituale romanum parochi curare debent ut sancta olea, ab episcopo feria quinta in Cœna Domini solemniter benedicta, quamprimum suo tempore habeant scilicet ante fontium baptismalium benedictionem quæ fit ab eisdem Sabbato Sancto sequenti. Non licet differre usque post dominicam in Albis, ut patet ex decreto sequenti:

« GANDAVEN. IV. Sacra olea, in Cœna Domini benedicta, transmittuntur ad decanos foraneos quia ea distribuunt pastoribus suorum districtuum, quæritur an decani distributionem differre possint usque post dominicam in Albis?

» V. Multi pastores accepta sacra olea apud se deponunt in domibus suis usque in sequentem diem dominicam, et tunc cum solemnibus processione, videlicet cum cruce, cum candelis ardentibus, sub baldachino a toto clero in habitu portantur ad Ecclesiam, exponunturque in aliquo altari cum hymnis, et eadem portantur ad fontem baptismalem. Quæritur 1. An pastores recte retineant sacra olea in domibus suis usque in dominicam receptionem eorum subsequentem? 2. An sacra olea cum tali solemnitate introduci possint in Ecclesiam? 3. An cum tali solemnitate infundi possint fonti baptismali cui non potuerunt infundi in vigilia Paschatis, cum tunc necdum haberi potuissent?

» Et S. Rit. C. respondendum censuit, ad dubium quæsitum quarti, negative.

» Ad dubium primum quæsitum quinti, negative et servetur Rituale romanum, excepto casu magnæ distantie ab Ecclesia. Ad dubium secundum, tollendam esse inductam consuetudinem et servandas Ritualis rubricas. Ad dubium tertium, jam provisum in præcedenti.

» Atque ita respondit et servari mandavit. Die 16 decembris 1828.

Insuper die 27 febr. 1852, causa consimilis agitata fuit in S. Congr. Concilii. EE. PP. damnaverunt consuetudinem v. cujus vicarii foranei in diœcesi B. distributionem sacrorum oleorum usque ad vigiliam Pentecostes diferebant. *Anal. jur. pontif.*, ser. III, col. 938.

Cavalieri, t. IV, cap. xxvi, n. 6, innixus *Instit. LXXXI*, Benedicti XIV, excusat a peccato parochos differentes nova olea sumere usque ad subsequens sabbatum in Albis, quamvis degant in ipsa civitate, proindeque absque incommodo aut impedimento, cito ac tempestive possint eadem procurare et obtinere. Hoc tamen non coheret decreto 7 sept. 1601: « Olea sacra quotannis ab episcopo confici, et suæ diœcesis presbyteris distribui debent, crematis veteribus, et vetera non possunt adhiberi,

postquam nova sunt consecrata. » « Quamobrem docet Giraldu illos quidem a peccato immunes esse qui ob nimiam distantiam, aut aliud legitimum impedimentum non possunt habere nova olea ante Faschæ solemnitatem (quæ incipit Sabbato Sancto), non sic vero commode potentes olea respective necessaria habere, pro tali tempore. Isti enim voluntarie se periculo exponunt sacramenta administrandi cum oleo veteri, imo voluntarie se constituunt in necessitate adhibendi vetera, ob negligentiam ex proprio munere opportune procurandi nova olea, si noctu interim vocentur ad illico ministrandam alicui extremam unctionem. Neque dicas « quod in casu necessitatis uti poterit parochus oleo veteri sacro, » prout in terminis declaravit S. C. Episcoporum die 20 mart. 1590; ut enim loco cit. recte explicat Lambertinus, verus hujus decreti sacrorumque canonum sensus ille est quod ille cum oleis veteribus licite ministrat in casu necessitatis qui in culpa non est cur nova non adhibeantur, secus vero ille qui, munere sui officii neglecto, intra tempus debitum nova olea non procuravit, et sic voluntarie se constituit in necessitate adhibendi vetera. » (*Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 590, medium versus.)

Ex his verbis Benedicti XIV a Giraldo citatis patet quod P. Cavalieri, loc. cit. mentem *Instit.* præfate non deprehenderit, quod optime animadvertit modernus canonista, *Correspondance de Rome*, tom. II, pag. 43, vel n° 88, 24 jan. 1852, allegans Tetamum qui, tract. II, lib. IV, part. II, cap. VIII, n. 489 et seqq. sic loquitur: « Si adeo tempus posset extendi, non declarasset S. R. C. eos qui, in sabbato ante fontis benedictionem, olea sacra nondum recipere potuerint, illa subinde privatim ac separatim in aquam mittere posse; non, inquam, ita declarasset, sed magis eos posse adhibere vetera in ipso actu benedictionis fontis baptismalis in eodem Sabbato Sancto... Non enim deceret differre infusionem SS. oleorum, dum posset adhiberi vetera in casu predicto. Si autem vetera non possunt, ergo oportet quod, ante benedictionem fontis, atque adeo ante Sabbatum Sanctum, vel saltem in Sabbato Sancto ante benedictionem fontis baptismalis, habeantur nova olea sacra. » Cf. Gardellini, n. 4403, t. V, p. 41.

Notandum occurrit decretum sequens: « Perdurantibus belli civilis calamitatibus in regno Hispaniarum accidit ut Reverendiss. Oriolensis episcopus, superiori anno 1836, olea sacra, feria V in Cœna Domini, consecrare nequiverit, pro solemnibus benedictionibus fontium baptismalium parochialibus in Ecclesiis peragenda, in sequente Sabbato Sancto, neque eadem olea vicinioribus episcopis parochi habere potuerint, siquidem ob communia incommoda pene omnes episcopales sedes proprio sunt viduatae pastore ita ut, communicationibus interceptis, grex a pastore, filii parente, Ecclesia ab episcopis non sine magno animarum salutis detrimento separentur. Hujusmodi in angustiis constituti parochi præbendati Oriolen. diœcesis diversas inter se protulere sententias, et nonnul-

is negantibus, bene multi opinabantur benedictionem solemnem fontium baptismalium perfici posse, adhibitis oleis superiori anno consecratis. In qua opinione et sententiarum varietate id sumpserunt consilii ut sacram hanc Rit. Congr. requirerent ut certam sequerentur regulam in re tanti momenti, ac propterea insequentia dubia enodanda humillime proposuerunt nimirum:

» I. An talis benedictio fontis baptismalis in Sabbato Sancto fieri debeat cum chrismate et oleo præcedentis anni, an potius omittenda sit infusio chrismatis et olei usque dum accipiantur recenter consecrata?

» II. An in baptismo solemnibus infantum utendum sit hujusmodi aqua, benedicta quidem cum reliquis caeremoniis Missalis, sed absque consecratione seu mixtione sacrorum chrismatis et olei; aut vero aqua consecrata præcedenti anno, quæ ad hanc finem conservetur?

» III. An, supposito quod aqua baptismalis benedicta sit cum veteribus oleis, eo quod recenter consecrata non habeantur, infundi debeat in piscinam, simul ac nova recipiantur olea, et iterum cum his alia benedicta sit aqua juxta caeremonias Ritualis Romani; an vero illam conservari et illa uti debeat usque ad benedictionem in vigilia Pentecostes prout in Missali?

» IV. An in baptismo solemnibus ungenti sunt infantes oleo et chrismate præcedentis anni, dum recenter consecrata non habeantur; an vero omittenda hæc sit caeremonia et postea supplenda cum novum oleum et novum chrisma recipiantur?

» S. R. C. rescripsit: Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

» Ad II. Negative ad utrumque, sed fieri debet nova fontis benedictio cum oleis anni præcedentis, seu provisum in prima parte superioris dubii.

» Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

» Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Die 23 sept. 1837 (4672).

Hic juvat animadvertere quod, in *Lucana*, 42 april. 1755, S. R. C. sic decreverit: « Qui vero ante fontis benedictionem sacra olea recipere non potuerunt, illa subinde privatim ac separatim in aquam mittere poterunt; » dum econtra anno 1837, in *Oriolen.* supra, vetera olea mittere in novam aquam rite benedictam præceperit, quando nova olea benedicta haberi non possunt; unde quæritur cui decreto standum sit in praxi. Respondendum videtur duo decreta S. R. C. non inter se pugnare, cum illa fuerint data pro speciebus omnino diversis. Equidem in *Lucana*, nova olea benedicta fuerant, et illorum distributio parochis erat serius ocus sed certe faciendâ; et in hoc casu S. C. mandat ut benedictio fontis fiat in sabbato sancto sine infusione chrismatis et olei, quæ ulterius privatim et separatim infundenda erunt. In *Oriolen.* vero, propter publicas commotiones, benedictio SS. oleorum facta non fuerat ab episcopo diœcesano, nec ab aliis episcopis vicina-

rum regionum, unde timendum erat quod parochi per longius temporis spatium novis oleis rite consecratis destituerentur, ideo S. C. decrevit tunc adhibenda esse vetera olea.

Quæritur quid agendum si, post benedictionem fontium et ante infusionem oleorum recens benedictorum, infans baptizandus præsentetur. Sponser, apud S. Ligorium, existimat baptismum dandum esse, ex eo quia infans recens nati tanquam in periculo mortis semper habendi sunt, et allegat textum catechismi romani. Marchantius suadet ut conferatur baptismus cum exorcismis, omissis unctionibus quæ ulterius adhibeantur ubi aderunt nova olea. (Tract. II. *De sacram.* cap. 41, n. 3.) Juxta Gobath, *Theolog. experim.*, t. I, tract. II, n. 511, si periculum imminet, adhibenda sunt olea vetera, secus baptisma differendum. Idem addit quod parochus potest sequi consuetudinem in diœcesi receptam vetera olea adhibendi; et S. Ligorius, lib. VI, tract. II, n. 441, docet quod, si nova olea sint adhuc expectanda per decem vel undecim dies, baptismus conferatur, omissis unctionibus ulterius adhibendis; si tamen citius nova olea obtineri possint, prorogandus esset baptismus ut unctiones a baptismo collato non disjunctantur. Cf. *Mélanges théologiques*, série IV, pag. 90 et seqq.

Idcirco, in statutis archidiœceseos Cameracensis, anno 1856 publicatis, part. II, tit. I, cap. IV, n. 143, legantur sapientissimæ illæ dispositiones: « Inter ea quæ de sacramento Baptismi rite administrando monet ac præscribit Rituale romanum, plura sunt quæ ad sacra olea spectant. Monitiones has omnes ac præscriptiones accurate servari præcipimus, iisque ducimus addenda quæ sequuntur. Archipresbyter quisque sacerdotem, aut clericum in sacris constitutum, mittat ad ecclesiam metropolitanam qui, ipso die feriæ V in cœna Domini, in vasis aptis tantum ex oleis sacris et chrismate suscipiat, quantum omnibus archipresbyteratus parochiis satis sit, et singulis decanis postea distribuenda deportet. Decani vero quique similiter, die Parasceves, ad archipresbyteros mittant sacerdotes aut clericos in sacris constitutos, a quibus S. chrisma et olea sacra afferantur. Singulis demum parochis, die intra octavam Faschæ a decanis indicto, et, quantum fieri poterit, feria tertia, sacra hæc olea, prout cuique opus erit, distribuantur. Cui distributioni adesse tenentur omnes decanatus parochi, nisi qua obstat gravis causa quæ decano significanda erit. Cum autem quis sic impediatur, in locum suum sacerdotem substituet, nunquam vero laicum. Hanc distributionem præcedet missa sollemnis etc... »

Tandem distributio chrismatis et oleorum gratis faciendâ est, ut patet ex constit. Clementis VIII, 24 mart. 1599, *Exponi nobis*, in qua statuitur quod « in sua quisque episcopus diœcesi regularibus S. Oleum prompte et liberaliter tradi curet et faciat; » et ex decreto S. C. Episcop. et regular. 6 sept. 1604, ibi: « In distributione SS. Oleorum,

non permittat episcopus ut aliquid recipiatur, non obstante consuetudine, quæ dici debet abusus contrarius dispositioni SS. canonum.» Cf. *Mélanges théologiques*, ibid. pag. 92.

## ADNOTATIO LI.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLV, De reliquiis et veneratione sanctorum, § II, n. 43; pag. 196.*

## DE CULTU ET RELIQUIIS SANCTORUM.

Circa beatificationem et canonizationem sanctorum ac cultum reliquiarum eorundem adeatur doctissimum opus Benedicti XIV, *De servorum Dei beatificatione*.

« Ex constit. ejusd. Benedicti, 5 mart. 1742, in elevatione corporum servorum Dei prohibita est eorundem reliquiarum detractio sub pena suspensionis, interdicti et excommunicationis Papæ reservatæ.

» Videnda est etiam constitutio Clementis X, *Ex commissæ*, 13 jan. 1672, circa extractiones earundem reliquiarum, custodiam et distributionem. Asservari autem debent in ecclesiis et non in monasteriis monialium, ex decreto congreg. episcop. et regular. in *Faventina*, 7 mart. 1617; et multo minus in domibus sæcularium. Eas publice in processionibus gestare laicis ac etiam clericis in minoribus vetitum est. Ita *Thesaur. De pœnis eccl.*, 7<sup>o</sup> *Reliquiæ*, cap. 1, cum Sanchez et Layman.

» Nota contra fures et raptores reliquiarum non existentium in dictis cryptis (catacumbis vel cœmeteriis tam intra quam extra Romam) nullam esse censuram, dummodo non simul interveniat effractio loci sacri, id est ecclesiæ.

» Si autem reliquiæ et corpora sanctorum venderentur aut exponerentur causa quæstus, præter peccatum simoniæ ac sacrilegii, cum sint res sacræ, si essent alicujus loci ecclesiastici, tam vendentes seu aliter alienantes quam recipientes incurrerent excommunicationem Papæ reservatam ex *Extrav. Ambitiosæ, De reb. Eccl. non alien.* cum sint res mobiles pretiosæ. Licitum tamen esset eas de manibus infidelium et hæreticorum pretio redimere; *Thesaur. loc. citato.* » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 622.)

## ADNOTATIO LII.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLV, § II, n. 43, pag. 196.*

## DE CONCEPTIONE IMMACULATA BEATÆ MARIE VIRGINIS.

Ad cap. 1. *Grave mimis*, huj. tit. in *extravag. comm. Giraldus, Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 623, refert varias constitutiones Summorum Pontificum quæ ad decretalem Sixti V accesserunt, circa

progressum cultus ac festi Immaculatæ Conceptionis B. M. V. Illud Deiparæ singulare privilegium inter articulos fidei catholicæ solemniter adscriptum fuit a Sanctissimo D. D. Pio IX, per bullam dogmaticam diei 8 dec. 1854, *Ineffabilis Deus*, cujus principalia verba sunt hæc: « Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et jejuniis nostras et publicas Ecclesiæ preces Deo Patri per Filium ejus offerre, ut Spiritus-Sancti virtute mentem nostram dirigere et confirmare dignaretur, implorato universæ cœlestis curiæ præsidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic adspirante, ad honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparæ, ad exaltationem fidei catholicæ et christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, declaramus, pronuntiamus et definimus doctrinam quæ tenet beatissimam Virginem Mariam, in primo instanti suæ conceptionis, fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, præsumperint corde sentire, ii noverint ac porro sciant se proprio judicio condemnatos naufragium circa fidem passos esse et ab unitate Ecclesiæ defecisse, ac præterea facto ipso suo semet pœnis a jure statutis subijcere, si quod corde sentiunt verbo aut scripto vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint. »

## ADNOTATIO LIII.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLVI, De observatione jejuniorum; pag. 196.*

NON POSSUNT ORDINARIJ PROPRIA AUCTORITATE DISPENSARE QUOAD ESUM CARNIUM IN QUADRAGESIMA ET TRANSLATIONEM JEJUNIORUM.

Cum quidam episcopi decrevisset jejunium, in feriam tertiam Quinquagesimæ incidens, propter vigiliam S. Matthiæ, sabbato præcedenti anticipari, Benedictus XIV, in epist. encycl. ad archiepiscopos et episcopos ditionis ecclesiasticæ, diei 30 jan. 1751, sic pronuntiat: « Facili negotio intelligitur auctoritatem ordinariam minime posse vigiliam S. Matthiæ, etiamsi in ultimam bacchanaliorum diem incidat, ad præcedens sabbatum transferre, cum ordinariæ auctoritati nulla sit potestas derogandi in iis quæ a Romanis Pontificibus atque a jure canonico decreta sunt. »

Inter opuscula hætenus inedita cardinalis Gerdilii, Romæ vulgata 1851, apud Salviucci, sequens tractatur quæstio: « Utrum ob difficultatem annonæ fas sit episcopis super delectu ciborum quadragesimali tempore cum integra indiscriminatim com-

munitate seu populo, inconsulto Romano Pontifice, dispensare? » Probat eminentissimus scriptor episcopis non licere suis diœcesanis dispensationem generalem impertiri. Et revera, hodiernis temporibus, antistites Galliarum ad Sedem apostolicam confugiunt, quando agitur de permissione carnum generali durante Quadragesima. Sit in exemplum indultum sequens:

« Feria IV, die 19 decembris 1866. — Sanctiss. D. N. Pius, divina providentia PP. IX, per facultates R. P. D. assessorii Sancti-Officii impertitas, benigne concessit episcopo Atrebatensi oratori ut ad triennium dispensare valeat in sua diœcesi a lege abstinence tempore Quadragesimæ ita ut Christi fideles sibi subjecti vesci possint carnibus in unica comestione, vetita semper promiscuitate carnum et piscium, etiam diebus dominicis. Exceptis vero a dicta concessione feria IV Cinerum, ultimis quatuor diebus majoris hebdomadæ ac diebus quatuor temporum. Idem R. P. D. Episcopus singulis vicibus, non nisi pro uno anno, hujusmodi dispensationem concedat, expressa mentione quolibet anno obtentæ facultatis a S. Sede, atque hortetur christifideles ut hanc apostolicam indulgentiam compensare studeant bonis operibus et elemosynis in pauperum levamen; contrariis non obstantibus quibuscumque. — Angelus ARGENTI, S. R. et U. I. notarius. »

## ADNOTATIO LIV.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLVII, De purificatione post partum; pag. 197.*

UTRUM BENEDICTIO MULIERIS POST PARTUM SIT DE JURIBUS PAROCHIALIBUS? AN SIT DE PRÆCEPTO? AN DANDA POST PARTUM ILLEGITIMUM?

S. R. Congr. inter quædam dubia proposita, sic respondit ad VI: « An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similibus sint de juribus mere parochialibus? Negative, sed benedictionem mulierum et fontis baptismalis fieri debere a parochis. »

» Quamvis autem in hoc decreto statuatur mulieris benedictionem post partum, tanquam unam ex functionibus parochialibus, non vero ex juribus parochialibus, ut distinguit Benedictus XIV, *Instit. eccl.* CV, § 6, faciendam esse a parochis; non ita tamen privative ad eos spectat quin ab aliis sacerdotibus in ecclesiis a parochiali sejunctis dari possit, licet intra hujus limites fundatæ reperiantur, quæ non adeo ipsi subjectæ sunt quoad ea quæ non sunt de juribus parochialibus; quemadmodum idem Benedictus luculenter probat loc. cit. ex pluribus decretis Conc. Cong. et Rotæ decisionibus. Quod etiam firmatur ex hodierna praxi, cum videamus puerperas mulieres pro earum libitu ad quam maluerint ecclesiam accedere, benedictionem recepturæ, sine ulla parochorum contradic-

tione, præsertim in iis locis ubi non viget consuetudo ut recipiatur a solo parochio.

« Nota I. Nullo hodie puerperam obstringi præcepto benedictionem recipiendi, nec abstinendi per dies aliquot ab ecclesiæ ingressu, ut constat ex verbis decretalis, *Volens*, cap. un. huj. tit.; quamvis, ut ostendit Reiffenstuel, hoc eod. tit. consuetudine introducti possit ut, ante ingressum ad ecclesiam, dictam benedictionem petere teneatur et aliquid pro ea parochio præbere.

« Nota II. Quod licet ex hac Innocentii declaratione non sit improbanda puerperæ devotio, si ex veneratione ab ingressu ecclesiæ se voluerit aliquandiu abstinere, improbandum tamen crederem quarundam puerperarum morem quæ, citra ullum valetudinis periculum, nimium sibi blandientes, largissime aliquantulum temporis a Pontifice hic indultum interpretando, illud extendunt etiam ad quadraginta dies, quo fit ut diebus festis missæ sacrificio non assistant; et sic vertunt in commodum corporis, quod pia consuetudine ad profectum animæ institutum est. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 627.)

Cf. Adnotationem XXI supra.

Quoad partum illegitimum, S. Congr. conc. die 18 jun. 1859, in *Wratislaviæ*, rescripsit: « Ad benedictionem post partum jus tantummodo habere mulieres quæ ex legitimo matrimonio pepererunt. » *Anal. jur. pontif.*, serie IV, col. 2399, ubi expenduntur opiniones liturgistarum.

## ADNOTATIO LV.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLVIII, De ecclesiis ædificandis vel reparandis; § I, n. 3; pag. 198.*

## DE ECCLESIIS TITULO BASILICÆ DECORATIS.

Hodie quamplures ecclesiæ cathedrales ex concessione apostolica titulo basilicæ minoris decorantur. Sint tanquam specimen litteræ apostolicæ ad hunc effectum in gratiam Ecclesiæ cathedralis Aurelianensis, die 26 januarii 1855, emanatæ:

« Pius PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam. De honore domus Dei pro nostro munere apostolico solliciti ecclesias cathedrales in primis et vetustate et dignitate illustres, de exemplo etiam Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, honorum titulis decoramus, prout in Domino expedire censemus. Jam vero cum venerabilis frater hodiernus episcopus Aurelianensis a nobis postulaverit ut ecclesiam cathedralem suam basilicam minore ad instar basilicarum Urbis declarem; nos ejusdem ecclesiæ decori amplificando et Christi fidelium eo confluentium pietati excitandæ hisce postulationibus obsecundare censuimus. Quamobrem, omnibus quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et pœnis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incur-

rerint, hujus tantum rei gratia, absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate nostra apostolica per presentes litteras præfatam ecclesiam cathedralem Aurelianensem titulo basilicæ decoramus et insignimus cum omnibus et singulis honoribus, præeminentiæ et prærogativis eidem titulo adnexis, ad instar basilicarum minorum almæ Urbis nostræ. Hæc concedimus decernentes præsentibus litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quocumque spectabit plenissime suffragari, sique in præmissis per quoscumque ordinarios iudices et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. PP. Benedicti XIV prædecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictæ ecclesiæ cathedralis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 26 jan. 1855, pontificatus nostri anno nono. — V. card. MACCHI. »

Privilegia basilicarum sunt hæc : canonici utuntur cappa magna violacea tempore hyemali, æstivo autem cotta super rochetum; insuper quando processionaliter incedunt, defertur ante eos conopæum seu papilio, ut aiunt, cum tintinnabulo. Gardellini, in *Lucerina*, 27 aug. 1836.

## ADNOTATIO LVI.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLVIII, § I, n. 21; pag. 202.*

## DE MODO PROVIDENDI SUSTENTATIONI RECTORIS PAROCHIAE ERIGENDÆ.

« Decretalem *Ad audientiam*, cap. 3 huj. tit. innovavit conc. Trid. cap. iv, sess. XXI, *De reform.* statuens præterea ut, si necesse fuerit, possit episcopus compellere populum ad ministranda quæ sufficient ad vitam parochi, de novo deputandi, sustentandam.

» Cum autem contingere possit quod parochianorum paupertas tanta sit ut hac via provideri nequeat novæ parochiæ decori et rectoris sustentationi, sequentia suppeditat Fagnanus ad hanc eandem decretalem, et cit. cap. Trid. n. 6, ibi : « Sin autem paupertas parochianos excuset, cogat episcopus abbatem vel præpositum, cui parochia illa in temporalibus subest, ad suppeditanda vitæ necessaria sacerdoti instituendo... Quod si et illos excuset inopia, provideat episcopus ex mensa sua... ad hoc enim tenetur episcopus si commode potest... Itaque secundum ordinem superius propositum procedendum erit ab episcopo in assi-

gnatione reddituum pro sustentatione rectoris » novæ parochiæ, prout concludunt hic Hostiensis » n. 3 et alii; et alias declaravit S. C. cardinalium » conc. Trid. interpretum. Censuit enim in terminis concilii assignationem faciendam ex fructibus » ad ecclesiam matricem pertinentibus, et, si ii » non sufficiant, tunc demum populum compellendum esse, quod si ne ipse ob paupertatem commelli possit, episcopum de suo dare debere. »

« Quod autem episcopus de sua mensa in casu tenuitatis reddituum ecclesiæ matricis, et parochianorum paupertatis, novæ parochiæ erectioni providere debeat, citra fractionem juramenti a se præstiti de rebus Ecclesiæ non alienandis, jam declaraverat Cælestinus III in ejus decretali relata hoc eod. tit. cap. 6.

« Eadem S. Congregatio, juxta diversas facti et locorum circumstantias, aliquando divisionem admisit, prius tamen constituto de quantitate congruæ, assignandæ novo parochi, ut in *Aquensi dismembrat.* 13 jul. 1720 et 2 aug. 1721, in *Imolen. dismembr.* 8 jun. 1720, in *Asculana dismembr.* 15 dec. 1759, et novissime 14 dec. 1763 : aliquando denegavit in casu quo parochianorum necessitati satis consultum judicavit cum capellano coadjutore seu vicario parochi, ut in specie transcriptæ decretalis, prout declaravit in *Cassanen. dismembr.* 17 dec. 1740, in *Aquilana dismembr.* 8 febr. 1744, in *Comen. dismembr.* 7 aug. 1745, et in terminis oblatis per parochianos stipendii, absque ulla divisione reddituum veteris parochiæ in *Lumen Sorzianen. dismembr.* 8 mart. et 27 sept. 1732, et *Consistant.* 27 jun. 1761. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 630.)

## ADNOTATIO LVII

*Lib. III. Decretal. Tit. XLVIII, § II, n. 60; pag. 215.*

## DE NECESSITATE BENEPLACITI APOSTOLICI PRO ERIGENDO QUOCUMQUE MONASTERIO.

Adeatur D. Bouix, *Tract. de jure regular.* part. II, sect. II, cap. I et II, animadvertens Benedictum XIV, *De Syn. dicec.* lib. IX, cap. I, n. 9, tenere sententiam juxta quam beneplacitum apostolicum foret necessarium, in casu erigendi novi monasterii sive virorum sive mulierum, non solum in Italia et adjacentibus insulis, sed ubique terrarum, unde concludit prælaudatus auctor, cap. I, § 4, n. 2 : « Quod tamen revera communis illa sententia evaserit et a Romanis tribunalibus et congregationibus pro regula habeatur, tanquam certum affirmat Benedictus XIV, citatis supra verbis. Atque id minus considerate ab ipso assertum dicere vetat tanti scriptoris auctoritas. Semel autem præsupposito, et Benedicti XIV tempore invaluisse et etiamnum perseverare assertam ad ipso SS. Congregationum praxim (cum hæc privatorum scriptorum opi-

nionibus prævalere debeat), sequitur hodie ad novi conventus erectionem necessarium esse beneplacitum apostolicum, etiam extra Italiam et adjacentes insulas; proinde nullam fore ac irritam fundationem ex solius ordinarii licentia peractam. »

Notandum I. Quod necessitas beneplaciti apostolici non excludat licentiam episcopi, ut videre est apud Benedict. XIV, loc. citato.

Notandum II, cum prælaudato D. Bouix, loco cit. § VI, non videri necessarium prædictum beneplacitum quoad congregationes quæ solemnia vota ex instituto non habent.

Legent eruditi in *Collect. in usum secretar. S. C. episcop. et regular. in Americana votorum*, pag. 778, vota duorum consultorum, quorum alter « certum esse edicebat requiri pro canonica erectione monasteriorum et conventuum cujuscumque ordinis et instituti in Italia et insulis adjacentibus beneplacitum apostolicum, vi const. *Instaurandæ*. Fatebatur communiorem fortasse esse sententiam illorum qui necessitatem beneplaciti S. Sedis etiam extra Italiam extendunt; verum arbitrabatur eam valido fundamento haud fuisse relate ad ordines non mendicantes, licet quoad mendicantes retinenda omnino sit. » (Ibid. pag. 784.) Decretum in causa prolatum, die 30 sept. 1864, et sub Adnotatione I hujusce volum. jam insertum, non præcise dirimit questionem.

## ADNOTATIO LVIII.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLIX, De immunitate ecclesiarum, cæmeterii, et rerum ad eas pertinentium; § II, n. 55; pag. 227.*

## QUÆ LOCA GAUDEANT PRIVILEGIO ASYLI.

« Hoc privilegium extenditur ad quæcumque oratoria, episcopi auctoritate ubicumque constructa, non vero erecta in domibus privatorum, licet ex licentia Papæ ibi missæ celebrentur...; ad domum parochialem, de pertinentia tamen ejusdem parochiæ, non conductam, inhabitatam ab ipso parochi, non a laicis, etiam distantem ab ecclesia, dummodo non distet spatio circiter tertiæ partis milliarii, in *Cæsenaten.* 17 nov. 1653 et aliis; ad domus canonicales, quæ tamen non est permittendum ab episcopo ut locentur laicis, in *Florentina* 8 maii 1694, in *Lauret.* 16 april. 1652; ad domum confraternitatis contiguam ecclesiæ confratrum in *Civit. Castelli* 23 jul. 1652, *Forolivien.* 19 dec. 1690; ad capellam, perpetuam tamen et immobilem, existentem in palatio gubernatoris, in *Turdertina* 7 maii 1658; ad turres campanarias inservientes ecclesiæ, distantes tamen intra triginta passus, 7 sept. 1632; ad locum in quo construenda est ecclesia, primo lapide solemniter injecto, in *Jan.* 3 oct. 1688.

» Cum ex indulgentia juris communis palatium episcopi gaudeat jure asyli, licet ultra quadraginta

passus distet ab ecclesia cathedrali, aut pro ipsius habitatione conductum sit; sicuti et domus in qua, tempore visitationis, moram trahit, ut declaravit ead. Congregatio immunitatis in *Aquitanen.* 19 nov. 1666 et in *Comen.* 25 febr. 1698, Remigius Maschat, *Instit. can.* hoc eod. tit. n. 14, cum doctoribus ibi relatis sentit probabiliter eodem jure gaudere palatium episcopi titularis; Fagnanus vero ad decretalem *Ecclesiæ*, hoc tit. a n. 32 ad 38, extendit idem privilegium etiam ad palatia prælatorum inferiorum quasi episcopalem jurisdictionem habentium, si ita se habet consuetudo, sicut et ex communi consuetudine ad palatia cardinalium, extra Urbem tamen; siquidem intra eam ab hoc privilegio expresse excluduntur in const. Julii III, *Cum civitates*, 22 sept. 1552 et aliis. Excipiendum tamen sentit laudatus Remigius, loc. cit. n. 15, palatium DD. cardinalium, si adhæreat titulis suarum ecclesiarum. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 637.)

Cf. Adnotat. XXXIV, XXXV et XXXVI, vol. secundi, pag. 594 et seqq.

## ADNOTATIO LIX.

*Lib. III. Decretal. Tit. XLIX, § III, n. 76; pag. 232.*

## AN GAUDEANT RELIGIOSI JURE ASYLI RESPECTU SUPERIORUM?

« Nota VIII. inquit Giraldus, quod neque ex const. Gregorii XIV, *Cum alias*, neque Benedicti XIII, *Ex quo divina*, neque Clementis XII, *In supremo justitiæ*, nec tandem Benedicti XIV, *Officii nostri*, idib. mart. 1750, religiosi confugientes, sive ad ecclesiam sui ordinis, sive ad quoscumque ecclesias et monasteria aliorum ordinum, priventur jure asyli pro delictis non exceptis in dictis constitutionibus; nullo fundamento dici potest eo non posse gaudere, cum non debeant esse deterioris conditionis quam cæteri rei etiam gravioris criminis, juxta decreta S. Congr. Immunit. in *Fulginat.* 9 mart. 1639, et in *Neapolitana* 11 oct. 1692. Et quamvis in *Æsina*, 19 april. 1701, declaratum fuerit ab eadem Congr. provinciale ordinis Minorum observ. reform. non incurrisse excommunicationem pro extractione sui religiosi ab ecclesia *Æsina* ejusd. ordinis, ac quamvis insuper ad preces procuratoris generalis dicti ordinis indulta fuerit sub die 19 sept. 1634 a Clemente XII provincialibus et guardianis ordinis facultas ducere faciendi delinquentes religiosos et contumaces ab ecclesiis eorum respective conventuum ad claustrales carceres, hæc tamen revocata fuit per organum secretariæ memorialium, ut vocant, 28 julii 1736, ad instantiam ejusdem S. Congr. Immunit. cum expressa declaratione ut, in similibus refugii et extractionis casibus, procedatur juxta terminos juris; prout legitur in originali mandato, in scriptis